



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 18. Successio Episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

§. XVII.

Sæculum II.

A. C. 117.

Traiani Mors. Hadrianus.

Imperator Trajanus obiit anno Jesu Christi centesimo decimo septimo, postquam imperasset annis novemdecim, sex mensibus, & diebus quindecim. Successorem habuit Ælium Adrianum filium suum adoptivum, Adriani Afri Patruelis sui naturalem. Imperator Adrianus fuit vanæ curiositatis amator eximius, omnium Gentilium Superstitionibus addictissimus. Imperii initia Romæ multo sanguine foedavit; quos inter etiam Christianos fuisse verosimile est.

*Epit. Dion.**An. 117.*

Hadrianus

Imperator.

Epit. Dion.

§. XVIII.

Successio Episcoporum.

Primus Alexandriae Episcopus fatis cessit anno Jesu Christi centesimo decimo octavo, cujus Successor fuit Justus, seditque annis undecim. Nonnulli S. Thelesphori Papæ Martyrium anno Christi centesimo vigesimo secundo ponunt; ipsi successerunt Hyginus, Pius, & Anicetus. Jerosolymæ post Philippum Seneca Episcopus fuit anno Christi centesimo vigesimo quinto, hujus Successores fuere Justus, Levi, Ephrem, Jose seu Joseph, & Judas, numero decimus quintus, ex circumcisis ultimus. Horum septem Episcoporum

*Eus. Chron.**An. 118.**Eus. IV. hist.**c. 5. Id. Chro.**An. 125.*

Hyginus.

Pius.

Anicetus Pa-

pæ.

An. 125.

Ee 3

copo-

Sæculum II.
A. C. 117.

coporum Regiminis spatium non nisi annos duodecim conficit; quot annis vero singuli federint, non liquet.

§. XIX.

Hæretici. Saturninus. Basilides.

Euf. IV. hist. c. 7. *Iren. I. 6. 22.* Inter Hæreticos multos sub Hadriani imperio Saturninus, Basilides, & Carpo-
cras eminebant, Menandri Discipuli, qui Simonis Magi Discipulus fuerat. Saturninus origine Antiochenus in Syria docebat. Cum Menandro Magistro suo docebat; unicum esse Patrem omnibus ignotum, qui Angelos, Archangelos, virtutes, & potestates creasset, septem vero Angelos mundum condidisse, & ipsum hominem. Judæorum Deum istorum Angelorum Patri rebellium unum esse. Christum invisibilem, & incorporeum sub figura humana apparuisse, ut Judæorum Deum exterminaret, homines impios perderet, justos salvaret; principio enim tam bonos, quam malos ab Angelis creatos dicebat. Matrimonium, & generationem tanquam Satanæ inventum dam-
nabat; ipsum Satanam Angelum esse mundi conditoribus adversarium ajebat. Multi Sectatorum ejus nihil, quod animatum fuisset, comedebant, qua austeritatis specie simplicibus fucum faciebant. Prophetias partim ab Angelis mundi aucto-
ribus,